

# Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in  
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

**Chyträus, David**

**Lipsiae, 1592**

**VD16 C 2504 T. II**

**Caput VII.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](http://urn.nbn.de:gbv:ha33-1-148122)

inter ruinas & excidia regnorum & urbium huius mundi, exigua ecclesia, per ministerium euangelij excerptitur, & collabentibus ac deletis imperijs perpetuo defenditur. VIII. De iure hospitij, quod in medijs bellis religiosa antiquitas sancte religioseque coluit. IX. De instauratione urbis Hiericho facta per Hielem Betheliten, 3. Reg. 16. qui primogenitum & minimum natu filium amisit, ut hoc in loco Iosuæ, anathemate urbem percutiens, instauratori illius fuerat imprecatus. X. Postremo: *Finis mundi, & ruina totius rerum naturæ, sonitu tubæ archangeli præcedente, & vita ecclesiæ resuscitatæ, in hac historia urbis Hiericho, sonantibus tubis in ruinam præcipitatæ, & Rahabæ cum suis conseruatæ (de qua superius capite 2. prolixius diximus) significatur.* Veniet enim filius hominis in nubibus cœli, & mittet angelos suos cum tubæ voce magna, & congregabunt electos eius ex quatuor ventis, eosq; inter fragores mundi collabentis & conflagrantis, in æternæ vitæ tabernacula introducent.

## Caput VII.

**A**chan seu Achor (vt 1. Paral. 2. Ose 2. & alibi scribitur) bonis Deo mino Deo consecratis & deuotis manus adferens, & sacra in rem suam conuertens: *Imago est multorum principum, & priuatorum, qui bona ecclesiastica Deo & vobis diuinis destinata surripiunt, & in suas priuatas vtilitates & commoda transferunt.* Nam quod semel Deo & ecclesiæ ipsius, & conseruationi doctrinæ & cultuum diuinorum, & alendis pauperibus, dicatum est: id non sine tetra impietate & sacrilegio auferri, & ab heredibus aut patronis occupari vel accipi potest, sed in pios usus ecclesiæ, studiorum doctrinæ, pauperum, scholarum, hospitalium collocari debet. *Quod & iuri diuino & legibus scriptis consentaneum est,* ac horrendis poenis praesentibus & æternis, eiusmodi fures & raptore bonorum ecclesiasticorum puniri, non solum praesens Achani cum tota familia & omnibus bonis deleti, verum etiam quotidiana & omnium oculos incurrentia, principum & ciuitatum exempla demonstrant, qui praetextu euangelij occupatis coenobiorum & collegiorum bonis, multo miseriiores sunt, & Dei maledictionem sibi & posteris attrahunt. Ut enim aquilarum plumæ, cæterarum avium plumis mixta, exedere eas & absurde scribuntur: sic ecclesiastica bona, principum & priuatorum patrimonii mixta, vtrumq; consumere & dissipare experientia docet, quæ apud Ethnicos etiam prouerbio, Aurum Tolosanum, originem dedit: & Chrysostomi dictum memoria dignum est, in 1. Cor. 5. τὸν διεσπερχόντα πάντες ὀλίγα, τὰ καλῶς κέμενα ἔχειται τοῦτο οὐτα. ἐδὲ γὰρ σιθότερον ταλεοντίας, καὶ τὴν κλην θητῆς τῷ τοιέτῳ ταμιέω, καὶ Θύρα, καὶ μοχλὸν, εἰκαὶ ταῖτα ποιεῖς, ταλεοντίας ἔδον τὸν χαλεπάτατον ληστὲν δυοκλεῖσας καὶ ταῖτα διώμενον ἔχεντες. Sæpe exiguum lucellum male quæsitum, amplas opes honeste partas cuerit. Nihil enim est, quod facilius omnia corrumpat, quam avaritia & fraude parta. Etsi enim feram addas tali arcæ, & ianua exteriore, & veete eam communieris, tamen violentissimum prædonem, fraudem & avaritiam intus conclusam tenes, quæ omnia efferre & dissipare potest.

II. Locus principalis est exemplum PROVIDENTIAE, qua cernit

D a v s

DEVS omnia vindex, & omnes pectoris humani latebras, omnes hominum cogitationes, consilia, dicta & facta penitus introspicit, & sceleratē cogitata & facta quantumuis callide occultata & sopita videantur, in lucem profert ac punit, & tandem iniuste oppressos liberat & præmijs ornat. Nemo igitur spe occultationis aliquid sceleratē suscipiat, nec se latere posse existimet omnia videntem Deum. *πάντη γὰρ εἰ, πάντα γέβλεπε θεός. πάντα idem διόφθαλμος, καὶ πάντα νόσοις.* Nec quidquam adeo occultum est, quod non sëpe etiam in hac vita aliquando reueletur. *εἰ φῶς δὲ αἱλύθεα ἀγει χρήσθε.* Ac in primis, periuria, homicidia & furta, mirabilibus occasionibus tandem reteguntur, vt historia Ibuci, quæ prouerbio, Ibuci grues, originem dedit, liquido demonstrat, de quo epigramma græcum adolescentes meminerint.

*Ιενεκε λητέσαι σε κατέκτανον ἐκ πότενήσθε βάντα ἐρημαῖνταις οὐεντα. πολλ' Πτι-  
σωτάμενον γεράνων νέφος αἵτοι ἵνοντο Μάρτυρες, ἀλγίσοντες τὸν θάνατον : Οὐδὲ μά-  
τιν ιαχτασ, οὐδὲ πουντίς εἰρινός Τῶν δὲ Διαὶ πλαγήσιν ὑπατο σειο Φόνον. Σισυφίλῳ κα-  
τὰ γάνα. οὐδὲ φιλοκερδείᾳ Φύλα λητέσιν, τὶ θεῶν εἰς τεφόβησθε χόλον. έδε γὰρ οὐ πεσοπά-  
ροισι πραγμάτηγισθος ἀοιδον ουμα μελαμπέπλων ἐκφυγεν διμερίδων.*

Ita plerunq; scelerati, quamvis aliquantis per flagitia sua celant: tamen seipsi, sicut sorex tandem inditio suo produnt. Circumredit enim vis atq; iniuria quemq;, Atq; vnde exorta est ad eum plerumq; reuertit. Nec facile est placidam & pacatam degere vitam. Qui violat factis communia fœderata pacis. Etsi fallit enim diuum genus atq; humanū, Perpetuò tamen id fore clam diffidere debet. Quippe vbi se multi per somnia sëpe loquentes Aut morbo delirantes protraxe feruntur. Et celata diu in medium peccata dedisse. Ut poëta canit. Ac similia nostræ ætatis exempla aliquot meminimus, in quæ intuentes, moneamur, ne spe occultationis similia tentemus. Nam *ως διπλοίστο καὶ ἄλλοτις τοιωταγε πέζοι.* Perdetur tali poena, qui talia fecit.

III. Doctrina de *innocatione* D e i, ad quam velut turrim fortissimam, Iosua in omnibus periculis confugit, iuxta dictum: Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & tu glorificabis me. Cum autem sex partes sint veræ innocationis: Compellatio veri Dei: cogitatio mandatorum Dei, quæ innocationem præcipiunt: Pœnitentia seu conuersio ad Deum: cogitatio promissionum de remissione peccatorum & exauditione propter Christum mediatorem: fides adquiescens in promissionibus: & commemoratione rerum petendarum: in hac Iosuæ precatio, duarum præcipue partium, tertiae & sextæ exempla insignia proponuntur. Nam pœnitentia veræ, & serij doloris ac luctus de peccato signa, in illo populo visitata, fuerunt, scindere vestimenta, & facco seu fordidis vestibus indui, & cinerem super capita spargere. Est autem pœnitentia & fides in Christum, præcipua ala, qua in coelum precatio nostra subuehitur. Deinde in petitione liberationis ex præsenti periculo & defensionis ac conseruationis huius populi, in primis mentio causæ finalis (& quid facies nomini tuo magno?) attenta consideratione digna est. Nam vieti & profligatis Israélitis, vociferarentur Cananæi hostes, inane nomen esse *Ιεχονία* Deum ipsorum, vel certè hunc populum ab ipso negligi, nec Dei ecclesiam esse Israélitas: & doctrinam de Deo, sonantem in hoc populo, falsam esse, & promissiones huic populo datas, inania *θελητηγια*, & comminationes aduersus Cananæos editas, inania *μορμολητηγια* & bruta fulmina esse: vel non ita potentem esse Deum Israélitarum; ut seruare

vt seruare promissa & hostes eorum vincere posset, iactitarent. Petit igitur Iosua, vt has impiorum blasphemias, illustribus testimonij præsentia, veritatis, & auxilij sui omnipotentis, Deus refuter, & miranda defensione & victorijs huius populi declarer doctrinam de Deo ecclesiæ traditam certò veram esse, & à se respici, diligi, exaudiri & iuuari inuocantes, vt plures alij conspectis præsentia Dei testimonij, ad veri Dei agnitionem & inuocationem inuitentur, & ardenti gratiarum actione & pijs laudibus Deum in hac vita & omni aeternitate celebrent. Hæc vis & sententia est verborum Iosuæ & Dauidis, qui Psal. 79. velut paraphrasi hanc Iosuæ precationem reddens inquit: Ne memineris iniuitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordia tuæ, quia pauores facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ne forte dicant in gentibus, Vbi est Deus ipsorum. Sicut Deus ipse Esa. 48. inquit: Propter nomen meum longe faciam furorem meum, & laude mea infrenabo me, ne interreas. Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer. Ita nos, petentes à Deo conseruationem ecclesiæ aduersus Turcas, pontificios, & alios hostes populi Dei blasphemos, eandem causam Deo proponamus, ne nomen Dei ab hostibus blasphemetur, qui trucidatis & deletis pijs, vociferarentur vel inane nomen esse Deum, vel negligere ecclesiam, vel certè hunc populum victimum, & in extremas captiuitatis & seruitutis miseras redactum, non diligi à Deo, nec illi curæ esse, vt Cicero in oratione pro Flacco de Iudæis loquens blasphemat: Sua cuiq; ciuitati religio est, nostra nobis. stantibus Hierosolymis, pacatisq; Iudæis, tamen istorum religio sacrorum, à splendore huius imperij, grauitate nominis nostri, maiorum institutis abhorrebat. Nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis; quam chara Dijs immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod seruata.

III. *De vicissitudine dolorum & consolationum ecclesiæ perpetua.* Ut enim luna alias pleno orbe fulget, alias διχότομη, alias plane extincta esse videtur, ita perpetuae vices sunt gaudiorum & dolorum in ecclesia & omni piorum vita, & verè huc etiam accommodari potest, quod dicitur: Vsq; adeo nulla est sincera voluptas, sollicitumq; aliquid lætis interuenit. Triumphat Iosua mirando successu traducti per Iordanem populi, & captæ solo tubarum sonitu urbis Iericho, & haud dubie solenni gratiarum actione cum toto populo lætus Deum laudauit, & similem prosperitatem deinceps in tota regione occupanda sperat. Cum igitur subito & præter omnem expectationem, improuisa clades & consternatio populi incideret, summa in mœstitia & dolore fuit, in quo, ad Dominum Deum suum pia & ardenti precatione confugit, & vicissim consolationem, lætitiam & liberationem experitur. Ad hanc scholam sanctæ crucis, in qua verum timorem Dei & fidem ac spem petentem & expectantem à Deo auxilium & liberationem, exercere discamus, studijs doctrinæ & quotidiana precatione nos præparemus.

V. Exemplum sententia: πόλλαν καὶ ξύπνασα τίλις κακὸς ἐπαρεῖ. Sæpe mali malafacta viri populus huit omnis, præfertim cùm à magistratu non puniuntur, sicut postea tribus Beniamin, propter stuprum vxoris Leuitæ non punitum, ferè tota deleta est, & hoc in loco Achan sacrilegus nominatur

minatur anathema, qui suo scelere totam populi communitatem, velut contagio polluat & iram Dei ac poenas aduersus totum populum, nisi è medio tollatur, irritet. Eò igitur maiori cura frenemus errantes cupiditates, & selera vitemus, ne nobis & toti Reipublicæ, in qua viuimus, poenas attrahamus. & non modo recte factorum præmia, verum etiam scelerum poenas latè patere sciamus, vt in primo præcepto dicitur: Visitans iniquitatem patrum in filijs, in tertiam & quartam generationem.

VI. De avaritia, quam omnium malorum radicem Paulus nominat. & vetus Crateris versus de concupiscentia omnium malorum fonte celebratur: *πεντησην ἐπανῶ πάντων θριβουμία εῖται*.

VII. De disciplina militari, & contumacia aduersus Dei & ducum mandata, & alijs militum sceleribus seuerè puniendis, ne hostibus felices successus, non propter eorum virtutem, sed nostram impietatem & peccata Deus tribuat, sicut proximis seculis Christianos exercitus contra Turcas infeliciter dimicasse constat.

VIII. *De sortibus*, exemplum sententiæ Salomonis prouerb. 16. insigne in hac historia consideretur. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Sunt autem hæ sortes, vt Augustinus definit, media, quæ in rebus dubijs & abstrusis, de quibus homines incerti ambigunt, diuinam indicant voluntatem, vt rex populi Iudaici primus sorte eligitur, 1. Reg. 10. Apostoli post resurrectionem Christi sorte collegio suo adsciscunt Matthiam. In nauil vehente Ionam, forte indagatur reus, qui causam sœuissimæ illi tempestatи præbuisset. Ita hoc loco furem honorum ecclesiasticorum Iosua sorte inuestigat. Has sortes diuinitus temperatas esse non dubium est. Sed imitari nobis hæc media exquirendi aurores scelerum singularia, sine peculiari mandato diuino, non licet. Multo minus alias sortes *αινιτιολογίας*, siue Geomanticas, siue arithmanticas, siue tesseris, herbarum folijs, cineribus, aliaue ratione administrentur, usurpare, & ignota vel futura ex illis inquirere concessum est, cum diserte vox diuina eas prohibeat. Relique sunt politicæ sortes, cum propo-sitis aliquot personis idoneis, sorte eliguntur certis officijs præficiendi, vt in Attica & Romana republica olim fabis candidis & nigris seu calculis, & nunc Venetijs globulis aureis & argenteis, senatores leguntur, vel cum hæreditates & alia bona, ijs, ad quos pertinent, spontaneo consensu se decreto sortium submittentibus, distribuuntur. Quas sortes legibus approbatas, multa dissidia priuata & publica feliciter dirimere palam est.

IX. *Pæna criminis læse maiestatis diuina & sacrilegij Achan*, cui cum filijs & filiabus, totaq; domo & supellecstile sua, pereundum est, congruit cum primo præcepto, Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, puniens iniquitatem patrum in filijs in tertiam & quartam generationem. Nam si propter crimen læse maiestatis humanæ, à parentibus commissum, filij etiam in civili iudicio, priuatione feudi, publicatione bonorum, & alijs poenis plecti iustè solent: & parricidarum, qui Galeatum ducenti Mediolanensem, dominum suum, anno Christi 1477. in templo trucidauerant, consanguinitas omnis vtriusque sexus, in quartam usque generationem, per iudicij publici sententiam imperfecta est, domibus eorum dirutis, & arboribus etiam fructiferis eradicatis, reliquis succisis: multo magis crimen læse maiestatis diuina, vt idolatria, vel sacrilegium, à parentibus commissum, iuste grauiissimis poenis, nisi poenitentiam agant, in tertiam &

tiam & quartam generationem vindicatur. Etsi autem hoc iudicium ratio humana sentit iniustum & crudele esse: tamen ut magitudinem & atrocitatem peccati & irae Dei, ita nec poenaruim, quas merentur peccata, magnitudinem nos satis intelligere fateamur; & cum Davide clamemus, Iustus es domine, & rectum iudicium tuum: & cum Daniele, Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Quod enim obijcitur, Filius non portabit iniquitatem patris, seu nemo puniendus est propter aliena delicta: id de æternis poenis præcipue intelligatur dulcissima euangelij *Prolempia* esse. Nam agens poenitentiam & in Christum credens, nequaquam propter parentum delicta damnatur, sed non agentibus poenitentiæ, lex iram Dei, & præsentes ac æternas poenas, propter sua & parentum peccata denunciat.

X. Doctrina de CRUCE, & causis cur ecclesia cruci subiecta sit, & consolationibus opponendis, in allegoria Vallis ACHOR, à prophetis quibusdam tradita, consideretur. Quam vallem fertilissimam & amoenissimam, & agris, vineis, pratis & hortis cultissimam fuisse appetet, cui hortum seu scholam sanctæ crucis prophetæ conferunt. Nam Achor turbationem seu crucem significat, die guldin aw / da das Creuz der trübsal ist/ vnd doch tröstliche wort Christi gehört worden / da man prediget eitel unsichtbar ding das man hoffen mus. Hac enim breui & neruofissima annotatione Lutherus verba Ose. 2. illustrat. Ecce ego lactabo, blandissime invitabo, eam, ecclesiam, & ducam eam in solitudinem, vt in eductione ex Aegypto & in deserto præsentiam & benevolentiam illustribus testimonij declaravi, ut loquar ad cor eius, per euangelion amicissime & blandissime eam alloquar, vt me ipsi ex corde propitium amicum esse in suo corde sentiat, & dabo ei vinitores eius, qui vincam ecclesiæ ex gentibus & reliquijs Iudeorum collectæ colant & purgent, vt fructus Deo gratos & alijs hominibus salutares ferat, Ioh. 15. & VALLUM ACHOR amoenissimam & feracissimam fructuum Deo placentium, quam verbo euangelij rigari & sancta cruce subigi, farriri & purgari oportet, ad aperiendam spem, vt discat ecclesia non præsentibus & in oculos incurribus præsidijs nitit, sed inuisibilia & æternabona in verbo promissa spectare, expetere & sperare. Spe enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes. Hæc spes in valle Achor, seu cruce & periculis aperitur, probatur, acceditur, & confirmatur, vt Paulus inquit: Tribulatio patientiam parit: patientia probationem: probatio spem: spes, quia certissima Dei veracis & omnipotentis promissione nititur, non confundit expectantem. vt Stephanus in suam vallem Achor ad supplicium ibat ouans animis, & spe sua damna leuibat. & Abraham credit contra spem in spem. & Paulus iubet nos non lugere mortuos, vt alij qui spem immortalitatis & vitæ secuturæ nullam habent. Ethnici enim in valle Achor, in cruce & periculis ac morte, spem vitæ melioris omnem abijciunt. Sed ecclesiæ, in valle vimbræ mortis, spes vitæ æternæ aperitur, vt Iob inquit, Etiamsi occiderit me, sperabo in eum. Eiusdem vallis Achor mentio fit Esa. 65. vbi, post comminationem de poenis impiorum, promissio de seruandis reliquijs ecclesiæ adiungitur: Hæc dicit Dominus, quomodo si inueniatur botrus in vindemia non vbere, & dicat colonus, ne dissipes illud, quia benedictio est: sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum. & educam de Iacob semen & de Iuda possidentem montes sanctos meos: & erit Saron ( regio vicina Lyddæ & Iop- pæ ferti-

pæ fertilissima ) in caulas gregum , & vallis Achor , in cubile armentorum populo meo , qui requisiuerunt me. Prædictit enim fœcundam & fructiferam fore ecclesiam , in qua vberrima pascua salutaris euangelij doctrinæ perpetuo mansura , & semper aliqui greges ouium , vocem pastoris Christi audientium , & arimenta seu robusti in fide , & ad docendos & consolandos alios idonei , futuri sint.

**T E X T U S .** *Praevaricati sunt mandatum.* Deut. 7. Non concupisces argentum & aurum eorum , quia abominatio est Domini Dei tui , ne fias anathema sicut & illud est. & Ios. 6. Sit ciuitas hæc anathema & omnia quæ in ea sunt Domino. Cauete , ne de his quæ præcepta sunt nobis , quippiam contingatis , & sitis prævaricationis rei. Quidquid auri & argenti fuerit , DOMINO CONSECRETVR repositum in thesauris eius. Significat autem prævaricari , latinis idem quod Ebræis θηριον delinquere , deerrare , seu deflectere à recta via & regula proposita , vt Plinius inquit , Arator , nisi incuruus , prævaricatur. Vari enim dicuntur , quibus pedes non recti sed introrsum incuruati & obtorti sunt. Vatij , quibus extrorsum. Varro , canes cruribus rectis ac potius varis quam vatijs , vel à variis , id est , venis plus æquo intumescentibus in crure potissimum , vnde prævaricari , deflectere propter varices & præterire. *De anathemate.* αἰθηθη per η. dicunt propriè significare donarium , quod Deo dicatum & consecratum in templis deponitur. αἰθηθη vero , per ε. , piaculum & maledictum ex rerum natura tollendum denotare , quia pecudes Deo oblatae macabantur , homines Dijs inferis deuoti necabantur , cuius synonyma , θηριαρχας , καθαρουα , περιθηθη , αλατωρ , βδέλυγμα , μιαρουα , &c. Deut. 27. collegi & declaraui.

*Achan* , 1. Paral. 2. nominatur Achar , turbator Israëlis , ab יְהוּ turbauit , vnde vallis Achor , in qua lapidatus est. Fuit abnepos patriarchæ Iudæ , senili autoritate , & existimatione virtutis , sapientiæ , fortitudinis eximia , haud dubie in toto populo antecellens , qui tamen succubuit capto vicitis ex hostibus auro. Pater Achari , hoc loco & 1. Paral. 2. nominatur *Charmi* , חַרְמִי vinitor. Auus , Zabdi , זָבְדִי dotatus. Proaus , Zare , frater Phares , Gen. 38. זָרֵי ortus Germen. Abaui : IUDAS filius Iacob , & Thamar nurus , Gen. 38. Matt. 1.

*Hai.* situs oppidi in textu describitur. Ebraicè וַיְהִי Ai , aceruus , tumulus , in quem redactum est oppidum , à Iosua euersum. *Bethauen* oppidum à Bethel distinctum fuisse apparet. בֵּית הָעֵן domus peccati , sceleris. *BETHEL* בֵּית אלה domus dei , sic dicta à patriarcha Iacob , cùm Deum innixum Scalæ , & Angelos ascendentis ac descendentes ibi vidisser , Gen. 28. 35. Postea hæc domus Dei , in qua Deus ipse ad Iacob concionatus erat , facta est antrum Diabolorum , postquam Ieroboam aureum vitulum ibi collocauit , & sacrificia impia instituit , & postea Samaritani ethnico cultus ibi obseruarunt. 3. Reg. 12. 11. 13. & Osee 4. 5. 10. Amos 5. 7. vbi prophetæ , nomen vicini oppidi Bethauen ( domus sceleris ) Bethelæ attribuunt. *Vsg. ad Sabarim.* locus in agro vrbis Hai. סָבָרִים fractura. *Anathema in medio tui est.* Piaculum , res ita polluta & execranda , vt nisi tollatur , Deus totum populum punitus sit , vide in Deut. 27. *Da gloriam Domino Deo Israël.* quod fit ναεδογνωτης , iustus , & verax , & puniat mentientes. Reuerere igitur ipsius maiestatem , & culpam coram eo agnoscas , & fateri rem totam malis , quam coram eo mentiri. Eadem formula obtestationis usurpatur 1. Reg. 6. & Ioh. 9.

*Pallium coccineum. De Coccino dixi supra, cap. 2. fol. 29. Ducentos Siclos. Siclus sanctuarij pendet quatuor drachinas argenti, seu dimidium Talerum. Regulam seu laminam 50. sicciorum auri, qui 300. Ioachimicorum precium æquarunt. Aurum Tolosanum. Concupiscentia abstuli. neq; r;is;nd;e; n;an;u; m;ant;u; exib;u;ia i;ñ. Vallis Achor. de qua paulo ante loco X. dictum est.*

## Caput VIII.

### L O C I .

**D**abo ei vallem Achor, ut aperiatur spes: inquit Propheta Oseas al ludens ad hanc ipsam Israëlitarum historiam, qui cum in valle Achor, sacrilegio Achanis, & clade ab Haitis accepta, ac consternatione inde secuta, turbati essent: post tempestatem illam rursus certam spem occupandæ terræ Canaan ex diuina promissione, & felici successu expugnationis vrbis Hai, conceperunt. Ita ecclesia & omnes pij vndiq; turbati insidijs Diaboli, persecutionibus Tyrannorum, inopia, exilijs, hereticis, peccato, morte, &c. non frangantur animo, nec succumbant dolori, sed certam fiduciam Gratiae & benevolentiae Dei ac æternæ salutis propter Christum promissæ, & certam spem auxilij, defensionis, liberationis & victoriae aduersus omnes hostes tandem obtinendæ retineant. Hæc spes verè ancora fidei & galea salutis Christianæ est, Quam cogitatione promissionum Gratiae, auxilij & liberationis diuinæ, & æternæ gloriæ certo secuturæ, & spiritu sancto paracleti in pectora nostra effuso filius Dei in nobis accedit, ac crebro ðæ vices dolorum & consolationum, mœstitia & gaudij, perturbationum & lyci, in piorum cordibus, à Davide in Psalmis describuntur. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, &c. Deus meus in me anima mea conturbata est, propterea memor ero tui. Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum, omnes fluctus tui transferunt super me. In die promisit Dominus misericordiam suam. Psal. 31. Defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus, inimicis meis factus sum opprobrium, &c. Ego autem in te speravi Domine, dixi, Deus meus es tu. Psal. 30. Domine cum ostenderes faciem tuam, sum conturbatus. Ad te Domine clamabo. Quoniam momentum ira tua, & vita delectaris. Vesperi erit fletus, & inane carmen. Psal. 69. Defecerunt oculi mei, sed spero in Deum meum. Psal. 71. Locuti sunt inimici mei contra me, dicentes, Deus reliquit eum, persequi- mini, & compræhendite eum. Ego autem semper sperabo. Hæc & similia dicta, passim in Psalmis obvia, lucem adferunt sententiae Oseæ, Dabo ei vallem Achor (turbationis) ut aperiatur spes, & ad superioris septimi capitil locum 4. & 10. simul referenda sunt. Ita hoc in loco ad aperiendam seu excitandam & confirmandam in Iosua spem auxilij & liberationis diuinæ, repetitur promissio Gratiae & misericordiae diuinæ ac felicium successuum, Ne timeas, neque formides. Namque fides innixa Deo trepidantia firmat Pectora, & in mœsto securum tempore tempus Præsumit confisa Deo, nam non metuendi causa timere Deum. ut supra in 4. loco primi capitil diximus.

I I. De Medijs, vocationi cuiusq; conuenientibus, non negligendis, et iam si Deus auxilium & successus salutares promisit; supra initio capitil 2. admoni-